Augustißimo, Illustrißimo, et Serenissimo MONARCHÆ,

CAROLO SECUNDO

DEI GRATIÀ MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ *REGI*, FIDEI DEFENSORI, *&c.*
COLLEGII REGII UNIVERSITATIS ABERDONENSIS PATRONO MAGNIFICENTISSIMO.
S. P. D. C.

DUM omnium ordinum subditi tui (MONARCHA INVICTISSIME) de reditu & adventu hoc fœlicissimo variis sua gaudia modis testari certant æmuli, adeo omnem implevere paginam, ut nihil nobis hujus TUÆ REGIÆ ACADEMIÆ alumnis reliquum fecerint. Cogimur itaque (apage cogimur,) imo jucundissimam necessitatem lætis amplectimur, grato et spontaneo animo, cum Philosophi Socratis discipulo illo egeno, quod nobis tantum superest, nosmetipsos, et omnia quæ nostra sunt, quod summus quod possumus MAJESTATI offerimus VESTRÆ. quantum hujus scedulæ exiguitas patitur, ingenuè testamur et profitemur nos in TE, per TE a TE, et de TE, unico et solo tanquam capite tenere et pendere: TIBI tanquam SUCCESSORI et HÆREDI indubitato prædecessorum tuorum SCOTIÆ REGUM, omniaque nobis grata et chara sunt, nostra mœnia, nostra munia, beneficia officia debemus. cuncta TIBI et illis accepta referimus. MAGNIFICENTISSIME PATRONE et REGIE PARENS, hæc nostra juvenilia sereno et placido vultu, accipere digneris, quæ etsi nihil præter candorem, humilitatem et simplicitatem sapiant si tamen deessent et nos taceremus pueri, proculdubio tigna et lapides hujus tui Athenæi erumperent. Verum si SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI visum fuerit, aut per otium licuerit paululum intueri aliorum quorundam, ex hoc etiam COLLEGIO TUO, affectûs sinceros, in concionibus sacris, et publicis theatris expressos, speramus quod nostræ tenuitatis deest, abunde compensatum iri; licet et illa sint Cirrhâ procul et Parnesside Lymphâ, pene sub Arctos sydere nata polo; nec TE digna satis nec satis apta TIBI Angustiis hisce inclusi, nunc penitus invitis cogimur a pectu S. D. N. nos subtrahere, et ad pugnam Philosophicam, sub tuis sacris auspicijs, nos accingere. Omnipotens Deus, Rex regum, et Dominus dominantiũ, qui regit æthereos radiantia sydera cœli. S.V. MAJESTATEM incolumem, ter et amplius fœlicem, necnon et magno majorem Carolo præstet, thronum vestrum justitiâ et æquitate stabiliat, et diu ac fœliciter nobis nostrisque posteris præsse velit, et natorum natos per omnia labentia secula, lucida volventur nitido dum sydera Cœlo, et post Sceptra terrestria immarcescibilem V. MAJESTATI coronam largiatur. Hæc supplices orant.

S. V. MAJESTATIS

humillimi servi, et omnibus mancipii vinculis devotißimi clientes ac oratores.

D. Robertus Gordonus.	*Gulielmus Dalgardinus.*	*Gulielmus Robertsonus.*	*Joannes Forbesius.*	*Robertus Martinus.*
Alexander Urqhartus,	*Gulielmus Davidsonus.*	*Gulielmus Torranus.*	*Joannes Mackraius.*	*Robertus Robertsonus.*
Andreas Dalgardinus.	*Gulielmus Joassæus.*	*Iacobus Abelus.*	*Joannes Wakerus*	*Robertus Strachanus.*
Georgius Ruddachus.	*Gulielmus Mackfinnanus.*	*Iacobus Stuartus*	*Patricius Turnebullus.*	*Robertus Turresius.*

Dimidium plus toto.

THESES LOGICÆ.

FRuſtra ſe torquent interpretes in ſcientiarum finibus regundis ex unitate ſubjecti *adæquati* vel *attributionis*; cum diſciplinæ tãtùm propter diſcendi commoditatem ex diverſitate principiorum latifundia ſua diſtinguant. Nos numerum pariter et diſtinctionem pro arbitrancis habemus, cum in rigore rationis unica tantùm detur ſcientia una, totalis, habitualis quæ ab objecto ſuo *intellectualis* dicitur.

II. Otioſas et minimè utiles, ſi uſpiam alibi vel maximè in aſſignando Logices genere, ἀγχινοίας oſtentandæ ergò, quæſtiones excitant multùm pugnaces Dialectici; adeo ut qui ipſam vel ſcientiam (eamque theoreticam vel practicam) vel artem, vel ex his neutram dixerit, haud facilè redarguatur. Datur Logica docens quæ non eſt utens et contra; unus tamen et idem actus poteſt eſſe Logica docens et utens.

III. Repudiatis *Arriagâ* et *Hurtado*, ut mininè fœlicibus univerſalis Architectis, Nos *Franciſ. B. S.* qui illud per actum confuſum præſicè fieri vult, calculum adjicimus. Ad nullum univerſale requiritur comparatio, ſed ſufficit naturæ ab inferioribus abſtractio formalis. Num voluntas ſit univerſalis factiva opponentis arbitrio determinandum relinquimus.

IV. Nimium advertitur inter Philoſophos accurata prædicabilium diſtinctio, cum tamen omnis univerſalis naturam ingrediatur confuſa cognitio: nam dentur prædicabilia duo, vel quinque, vel ſex, diſputationis ſcrutinio ventilandum proponimus. Diviſio univerſalis in quinque prædicabilia (factâ ſuppoſitione quod tot dentur, non plura, nec pauciora) eſt generis in ſpecies.

V. Animalitas in abſtracto et non animal in concreto eſt primum prædicabile. Genus non prædicatur de ſpecie, ut totum potentiale; nec ut pars actualis. Poteſt dari animal a parte rei quod nec ſit homo nec brutum. Num differentia ſit perfectior genere; vel è contra, dubium eſto.

VI. Quamvis definiatur individuum, quod in plura alia, quæ ſunt adæquatè idem cum ſeipſo, indiviſum eſt; ipſum vero diviſum a quolibet alio; preſenti tamen noſtro ſuffragio Individuum ſit genus, ſpecies et omnia prædicabilia, vel nullum ex illis.

VII. Veritas (juxta Recentiorum ſententiam noſtro calculo comprobandam) conſiſtit in aggregato conflato ex actu et objecto. In apprehenſione incomplexa datur veritas; nulla tamen falſitas. Idem actus poteſt eſſe verus et falſus.

VIII. Irrevocabili Philoſophorum ſuffragio decernitur interminabile litigium inter contradictoria, cum vel in ipſa veritate ſocietatem reſpuant: contradicentium tamen odia quandoque ſepulta dormiunt, tantamque ſæpius produnt amicitiam ut in multis inſtantibus utraque ſit falſitatis rea; et in omnibus inſtantibus contradictoria omnia in falſitatem concurrant. Propoſitionum ſingularium de futuro contingenti (quicquid in contrarium *Ariſtoteles*) una eſt determinate vera, altera falſa.

IX. Nunquam tam Lynceis fuimus oculis, ut ſubtiliter confictam inter Syllogiſmum et diſcurſum diſtinctionem perciperemus: conſtat autem Syllogiſmus tribus vel duabus, vel (ſi vis) unicâ contentus erit propoſitione. Cuilibet quartam Syllogiſmorum figuram (quam vulgò Galenicam vocant) noſtrâ pace admittere licebit.

X. Aſſenſus concluſionis attingit objectum præmiſſarum. Hinc licet (juxta *Ariſtotelem*) ex falſis verum, ex veris nil niſi verum; at ſecundum rei veritatem non ſequitur vera concluſio ex falſis præmiſſis, magis quam falſa ex veris.

XI. Premiſſæ objectivæ concurunt ad actum concluſionis objective non efficienter; Formales vero concurrunt efficicienter non phyſice, ſed moraliter: Quarum habitis aſſenſibus intellectus neceſſitatur ad aſſentiendum concluſioni, non ſolum quoad ſpeciem, verum etiam quoad exercitium actus. Unus et idem actus poteſt eſſe ſcientia fides et opinio.

THESES ETHICÆ.

DEus eſt ultimus finis hominis non ſolum ordinatione paſſivâ et extrinſecâ ſed etiam activâ et intrinſecâ. Num homo in omnibus ſuis actionibus hunc finem ultimum reſpiciat? et num plures fines ultimos ſibi proponere poſſit? dubium eſto.

II. Ingenuè fatemur poſſe dari aliqualem fœlicitatem naturalem, naturæ etiam viribus parabilem, quam *Ariſtoteles* in continuatâ virtutis actione conſiſtere voluit.

III. Reprehenſam tamen ab *Ariſtotele Solonis* ſententiam (fœlicem ante obitum habendum eſſe neminem) potuiſſe et fortaſſe debuiſſe commodâ potius interpretatione confirmari, quam exagitatione convelli exiſtimamus.

IV. Perfecta hominis fœlicitas objectiva eſt Deus: Formalem et ſimpliciter ſic dictam in clara et beatifica Dei viſione reponimus, et non in actibus voluntatis, licet hos etiam connotare pro certo ſupponamus.

V. Bonum eſt ex integrâ cauſâ, malum ex ſingulis defectibus Eth. 2. 9.

VI. Ferales peperit inimicitias inter Philoſophos et juriſtas dominium duorum in ſolidum; nos plurimùm devincimur utriſque, et proinde in hac controverſiâ ſtatuimus vel juriſtæ filium prodere, vel exhibere philoſophum.

VII. Ad ferendas imperii leges videtur requiri maſcula virtus: Tanti autem habetur apud nos Regia dignitas, ut fœmellam ſortem elevet, ut poteſtate legiſlativâ polleat: Imo et penes Reginam nuptam poteſt eſſe facultas legitima leges ferendi.

VIII. Datur jus gentium; an vero ex interpretativo gentium conſenſu, conſuetudine ſciz. an ex formali et explicito gentium decreto derivanda ſit ipſius origo, an etiam hæc lex ſit apud omnes gentes adhuc obſervata? promiſcuè tuebimur. An juſtitia admittat extremum in exceſſu? ambigimus vel aſſerimus.

THESES PHYSICÆ.

PRincipiorum corporis naturalis numerus φιλονεικος ſemper inter antiquos fuerat, qui contrariis omnino ſtudiis toto Cœlo à ſe invicem diſtabant: nos inanem eorum cenſentes operam, necnon futilem *Franciſ. le Rees* opinionem (qui ex principiorum albo expunctum ivit privationem) duo, tria, vel quinque, pro opponentis arbitrio, ponimus.

II. Cum nihil clarius oculis præſtruatur humanis, quam commune aliquod formarum ſubſtantialium ſubjectum, idem, poſt corruptiones et alterationes indies factas, incorruptum remanens, exiſtentiam materiæ primæ patronorum authoritate et rationis momentis claram, noſtris corroboramus ſuffragiis.

III. Materiam duabus formis ſubſtantialibus non tantum ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter ſimul informari poſſe tantiſper affirmabimus, donec formam ignis inferro candente argumentorum vi opponens extinxerit. Materia et formæ tam arctè inter ſe cohærent, ut ſi formæ evaderent impoſſibiles, materia etiam in nihilum evaneſceret: quo non obſtante materiam omni formâ denudatam exiſtere poſſe non multùm à veritate abhorrere videtur.

IV. *Thomiſtæ* et *Antiquiores* multi cauſam efficientem exiſtentiâ actuali denudatam operari poſſe aſſerebant, quibus è recentioribus ſuccenturiatur *Franciſ. B. S.* nos vero cum communi ſententiâ rationis tutamine firmiter munitâ, dicimus cauſam efficientem in nullo inſtanti operari poſſe in quo non exiſtit. Determinationem effectûs quoad individuationem in cauſam primam refundi ἀφιλοσοφον non eſt; cum nihil aliud, in quo rite ponatur hactenus excogitatum ſit.

V. Prolixè ſatis et curioſè diſputant nonnulli de naturâ et motu corporum cœleſtium: nos parum intereſſe cenſentes ſolvatur an ſcindatur Gordius nodus, aſſerim⁹ 1. Cœlos eſſe corpora completa ſimplicia, omnis compoſitionis eſſentialis expertia; aut eſſe compoſita ex materia et forma. 2. Materiam cœleſtem eſſe ejuſdem ſpeciei cum noſtra ſublunari, vel ſpecie ab ea diſtinctam. 3. Cœlos eſſe incorruptibiles, vel non ſolum corruptioni obnoxios, ſed ſæpe ſæpius de facto corrumpi. 4. Moveri ab Intelligentiis, aut hoc Angelorum officium, quod ponit *Ariſtoteles*, pro ſomnio et fabella Platonica habendum eſſe. 5. Ipſos eſſe vitæ expertes, vel informari animâ, quæ ſit motû principium. 6 Eos ſemper moveri vel perpetuò quieſcere: maximè eſſe in loco, et minimè in loco eſſe.

VI. Sol eſt formaliter flamma, igneos continuo emittens radios: quomodo ergo inhabitari poterit (ut ſomniant nonnulli) et à quibus, niſi fortè hujus ſeculi ſalamandris,, non novimus. Luna tamen eſt habitabilis; ſed num incolas habeat, et quibus regantur legibus, utrum per populare regimen, an ſumma poteſtas penes protectorem ſit; hoc phanaticis explorandum remittimus.

VII. Metalla non fuiſſe omnia in primâ creatione producta (ut falſo autumant permulti) luculenter docent fodinarum turgentes venæ poſt exactiſſimam depopulationem, eorum genitor nequit eſſe Sol, cum maximus ejus ardor ultra quatuor aut quinque pedes terram non penetret: hallucinantur ergo qui in regionibus frigidioribus de auro deſperant. Poteſt aurum arte produci, imo et marte, hoc experientia edocet noſtra.

VIII. Qui Elementa in ſuis locis naturalibus gravitare affirmant, helleboro non argumentorum vi curandi ſunt. An dentur quatuor elementa; an verò ignis ex eorum albo expungendus ſit, (cum viris doctis minitantibus, ſi illius ſphæræ ſine fomento perſeverantia admittatur dicturos ſe Lunam ex recenti caſeo conſtructam eſſe) probl. eſto in utramque partem diſputabile.

IX. Licet tota pene *Thomiſtarum* turba ſtatuat generantem principalem motûs gravium et levium cauſam, iis tamen refragantibus à ſeipſis moveri aſſerimus.

X. Qui Reactionem negaverit, is Academicis in hoc haud paulò inſolentior, quotidianas demonſtrationes ad oculum (licet omnium validiſſimas) non admittit.

XI. Longo opinionum, de modo quo fiat intentio, ſyncretè poſthabito ſententiam illam intentionem in *additione gradûs ad gradum* conſtituentem amplexamur. Dubiâ diſputationis aleâ de homogeneitate ac heterogeneitate graduum decertant philoſophorum primipili.

XII. In vera Rarefactionis ratione inveſteganda varias digladiantium authorum opiniones reperias; nos hoc in puncto *Arriage* eam fieri per intromiſſionem corpuſculorum minutorum unà cum locali ſeparatione partium continui, Condenſationem vero contrario modo ſe habere aſſerenti ſuccenturiamur.

XIII. In vero vitæ conceptu aſſignando *Compt.* accedimus, qui eam ponit in perfectione ab intrinſeco, quæ ab extrinſeco connaturaliter haberi nequit. Hunc vitæ conceptum Deo, Angelis, hominibus, et brutis, imo et plantis competere contendim⁹.

XIX. Animam rationalem indiviſibilem cum communi ſtatuimus ſententia: contrario prorſus modo de brutorum imperfectorum animabus philoſophandum eſt: quod ad perfectorum animas attinet, litem decîdat ratio.

XV. Nolumus *Tireſianam* ſexus tranſmutationē pro fabula haberi, caveant igitur ſibi γυναικο-μαστιγες, qui ſeminis animam adimunt, ne diſcrimine verſentur eodem.

XVI. Appetitum ſenſitivum in cerebro non in corde reponentibus noſtrum addimus ſuffragium.

XVII Nimium videntur cum brutis contrahere affinitatem, qui eis rationis uſum concedunt: nos omnem ejuſmodi nauſeantes neceſſitudinem non intellectum modo, ſed et cognoſcendi facultatem omnem illis negamus.

THESES METAPHYSICÆ.

QUi negant dari ens rationis, illud ipſo facto effingunt quod definitur (multum contrà laborante, licet fruſtra ſanè, *Franciſ. B. S.*) *quod in ſuo conceptu eſſentiali includat repugnantia et incompoſſibilia.* Num voluntas (de intellectu nullum eſt dubium) faciat ens rationis liberam cuilibet eligendi libertatem relinquimus. Deus cum mediatè tum immediatè facit ens rationis. Omnes notiones ſecundæ ſunt entia realia.

II. Qui negationes proſcribunt, nimis videntur negativi, cum ipſorum proteſtatio ſit contraria facto. Ratio diſtinctionis vel in entitate poſitiva (juxta *Compt.*) vel in negatione identitatis (ſecundum *Franciſcum B. S.*) conſiſtit.

III. Diſtinctionem *Scotiſticam ex naturâ rei* (quanquam authoris ſui ſubtilitatem redolentem) libello repudii donamus. *Thomiſtarum* etiam ut et *Comptoni* ipſorum Hyperaſpiſtæ (qui pro his tanquam pro aris et focis digladiatur) præciſiones objectivas in creatis rejicimus; formalem ſolam cum Recentiorum ſubtiliſſimis recipientes.

IV. Datur unus communis conceptus entis tam formalis quam objectivus: Ens eſt univocum in ordine ad Deum et creaturas, ſubſtantiam et accidens: Deus glorioſus et à fortiori ſubſtantiæ incorruptibiles creatæ Angeli v. g. et cœli poni poſſunt in prædicamento ſubſtantiæ. Num dentur Analoga A. vel N

V. Num Relatio conſiſtat in aggregato ex fundamento, et termino cum ratione fundandi, aut in actu noſtri intellectus concipiente unum in ordine ad aliud? et num ad productionem vel motum formicæ totus mundus realiter mutetur? probl. eſto. Pater qua pater non terminat filiationem. In eodem homine plures filios habente ſunt plures paternitates.

VI. Licet Generatio viventis ſit *Origo viventis à vivente tanquam à principio conjuncto ad ſimilitudinem naturæ*; dantur tamen dæmones incubi et ſuccubi quorum incubitu poſſunt imò de facto exſtiterunt generationes realiſſimæ.

DEcermina hæc Philoſophica, *A. P. D. O. M.* in ſolenni Philoſophantiū diatribâ, ſupra nominati Adoleſcentes quadriennale curriculum emenſi, hâc vice cum laureâ Magiſteriali *è Collegio Regio Univerſitatis Aberdonenſis* emittendi, propugnabunt, præſide *PATRICIO SANDILANDIO*, horis et loco ſolitis.

Jul. 12 1660.

Excudebat *Jacobus Brunus* Urbis & Academiæ *Typographus.*

QVÆSTIONES IN SACRA THEOLOGIA DISCVTIENDÆ OXONIÆ IN *Veſperijs, nono die Iulij, Ann. Dom.* 1614.

Quæſtiones Inceptoris NICOLAI LOVE.

An { Sint Conſilia Evangelica? *Neg.* / Papa quâ Papa vllam habeat in temporalia regum vel directè vel indirectè juriſdictionem? *Neg.* / Papa poſſit leges condere quæ obligent conſcientias? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris THEODORI PRICE.

An { Præſcientia dei pugnet cum arbitrij libertate primis parentibus conceſſa? *Neg.* / Renati poſſint perfectè legem dei implere in hac vita? *Neg.* / Indulgentiarum vſus ſit illicitus? *Aff.*

Quæſtiones Inceptoris ROBERTI MORE.

An { Sacra Scriptura contineat omnia ad ſalutem neceſſaria? *Aff.* / Papa ſit ſupremus judex controverſiarum fidei? *Neg.* / Concilia per Pontificem Romanum confirmata poſſint errare? *Aff.*

Quæſtiones Inceptoris THOMÆ ANIAN.

An { Peccata remiſſa per pœnitentiam redeant per ſequentem culpam? *Neg.* / Vno peccato remiſſo remittantur omnia? *Aff.* / Sit remiſſio peccatorum poſt hanc vitam? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris IOHANNIS FLEMMING.

An { Angli ſint ſciſmatici quòd ab Eccleſia Romana deſciverint? *Neg.* / Rex hæreticus ſit à Papa ſuo regno privandus? *Neg.* / Ad ſecularem Magiſtratum pertineat ſumma poteſtas procurandæ Religionis? *Aff.*

Quæſtiones Inceptoris GVLIELMI BALLOW.

An { Monarchia Pontificis Romani in vniverſam Eccleſiam ſit mera impoſtura? *Aff.* / Exemptio Clericorum à poteſtate ſeculari ſit juſta aut legitima? *Neg.* / Vnius Regni vna eſſe debeat publicè habita ac recepta (Orthodoxa) Religio? *Aff.*

Quæſtiones Inceptoris GEORGII CARLETON.

An { Iuſtitia Chriſti imputetur credentibus? *Aff.* / Merita ſanctorum imputentur credentibus? *Neg.* / Gratia ex merito Chriſti proveniens ſit vniverſalis ſimpliciter? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris IOHANNIS WILKINSON.

An { Sit peccatum in renatis reliquum? *Aff.* / Subiti motus ad quos non accedit conſenſus ſint peccata? *Aff.* / Omnia non renatorum opera ſint peccata? *Aff.*

Quæſtiones Inceptoris EDWARDI IAMES.

An { Fideles ſint certi de ſalute ſua? *Aff.* / Fides ſemel habita amitti poſſit? *Neg.* / Opera bona mereantur vitam æternam? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris THOMÆ IAMES.

An { Scriptura transferenda ſit in linguam vulgarem? *Aff.* / Euchariſtia danda ſit Laicis ſub vtraq; ſpecie? *Aff.* / Imagines ſint aliquo genere religioſi cultus proſequendæ? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris FRANCISCI IAMES.

An { Clerici à Iudice politico poſſint puniri? *Aff.* / Bona Clericorum ſint libera à tributis Principum? *Neg.* / Cœlibatus ſit rectè annexus ſacris ordinibus? *Neg.*

Quæſtiones Inceptoris IOHANNIS SIMPSON.

An { Sancti in cœlis intelligant hominum cogitationes in terris? *Neg.* / Sancti ſint invocandi? *Neg.* / Feſtos dies in Sanctorum memoriam celebrare liceat? *Aff.*

Quæstiones Inceptoris GVLIELMI WESTERMAN.

An { Templa sanctis sint erigenda? *Neg.*
Templa superstitionibus olim contaminata possint converti ad divinum cultum? *Aff.*
Imagines in templis sint collocandæ? *Neg.*

Quæstiones Inceptoris ADAMI WILSON.

An { Qui se non subjiciunt autoritati Papæ in rebus fidei pro hæreticis sint habendi? *Neg.*
Hæretici proprie dicantur esse de Ecclesia? *Neg.*
Hæretici sint tolerandi in Ecclesia? *Neg.*

Quæstiones Inceptoris GVLIELMI PEIRCE.

An { Omnes Iesuitæ quatenus Iesuitæ sint proditores? *Aff.*
Distinctio Iesuitarum de directa & indirecta potestate in temporalibus præter salfitatem sit ludus? *Aff.*
Dogma Pontificum de Enocho & Elia viventibus in carne mortali, & reditturis ad pugnam contra Antichristum, sit fabula? *Aff.*

Quæstiones Inceptoris IOH. CHARLET.

An { Renati possint excidere à gratia? *Neg.*
Prædestinatio ad vitam æternam sit merè gratuita? *Aff.*
Deus ex solo beneplacito reprobavit aliquem ab æterno? *Aff.*

Quæstiones Inceptoris ROBERTI SAY.

An { Papa possit constituere novos cultus religiosos? *Neg.*
Princeps possit imperare novos ritus ceremoniales? *Aff.*
Papa possit ordinare vniversales ritus in omni Ecclesia? *Neg.*

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Quæstiones Inceptoris THOMÆ WIAT.

An { Regimen Ecclesiæ visibilis sit monarchicum? *Neg.*
Petrus fuerit Ecclesiæ monarcha à Christo institutus? *Neg.*
Pontifex Romanus successerit Petro in Primatu? *Neg.*

Quæstiones Inceptoris GVLIELMI TWISSE.

An { Absq; gratia regenerante possit quis rectè vti suis naturalibus? *Neg.*
Sit aliqua lex communis secundum quam facientibus quod in se est Deus conferat auxilia regenerantis Gratiæ? *Neg.*
Gratia salutaris cuiquam exhibeatur quæ non sit efficax? *Neg.*

QVÆSTIONES IN PHILOSOPHIA DISCVTIENDÆ IN VESPERIIS.

An { Mundus inferior regatur à superiori? *Aff.*
Ex observatione siderum de futuris contingentibus dari possit conjectura? *Neg.*
Iesuitæ corruperint omnes scientias? *Aff.*

Respondente Inceptore HENRICO KING.

QVÆSTIONES IN SACRA THEOLOGIA DISCVTIENDÆ
Oxoniæ in Comitijs, undecimo die Iulij, Anno Domini 1614.

An { In Scripturis contineatur tota doctrina necessaria ad salutem? *Aff.*
Transubstantiatio vel realis in signis præsentia innotuerit primitivæ Ecclesiæ? *Neg.*
Primatum Pontificum Romanorum agnoverint Ecclesiæ primitivæ Patres? *Neg.*

Respondente THOMA IAMES *Inceptore.*

QVÆSTIONES IN PHILOSOPHIA DISCVTIENDÆ IN COMITIIS.

An { Intellectus gaudeat quiete? *Neg.*
Sit defectus in operibus naturæ, qui arguat mundi senectam? *Neg.*
Anima sit tabula rasa? *Aff.*

Respondente HENRICO PARRY *in Art. Mag.*